



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Bibliotheca Rhetorum**

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et  
Oratiunculae

**Le Jay, Gabriel François**

**Ingolstadij, 1726**

Idem eidem, cùm primas inter suos teneret.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

meos locum obtinuerim. Quanquam quis non intelligat ancipites esse armorum casus, atque hanc esse fortem eorum omnium, qui dimicant, ut non æquam semper & faventem fortunam experiantur? Id nõsti tu, Pater, unus omnium optimè, qui totam inter Martis labores ætatem tam laudabiliter contrivisti. Scis quàm vario, quàm parùm certo eventu quotidie configatur; neque vel accusandam continuò Ducis imprudentiam, aut increpandam militum sæcordiam videri, si minùs feliciter certatum sit. Id tamen dictum à me nolim existimes, quasi aut factum excusare penitus, aut omnem infelicis alexæ invidiam declinare voluerim. Unum hoc mihi in hac meâ calamitate relictum commodum esse video, ut novos ad rem bene gerendam stimulos, novam ad assequenda meliora diligentiam atque alacritatem adjiciat. Hac ego spe fretus nullus dubitem polliceri tibi, Pater amantissime, futurum intra breve tempus, ut hodierni nuncij acerbitatem lætior Epistola corrigat ac temperet. Hæc me recreat ac sustentat singulos in dies fiducia, quæ ut tantumdem apud te ponderis habeat, etiam atque etiam peto. Vale.

IDEM EIDEM,

*Cùm Primas inter suos obtineret.*

Gratulabunda.

Tantò lubentiùs tibi scribendum hodie suscepi, Pater amantissime, quantò difficiliùs, id ipsum nuper ut facerem, adductum fuisse me

M 4

pro-

profiteor. Nihil habet isthæc Epistola nisi lætum, nisi fortunatum, nisi quid gratissimum tibi, quod nunciet. Nam sive æquiores se mihi, quàm aliàs fortuna præstitit, sive diligentia accuratoris percepi fructum aliquem, sive, quod ego lubentius crediderim, singulare placendi tibi desiderium novos addidit ad rem bene gerendam stimulos, Primas tandem aliquando inter condiscipulos meos sum adeptus, & Imperatoris dignitate defungor. Hujus porrò muneris amplitudinem dubito, utrùm tantum faciendam putes, quanti reipsa valeat. Tu qui Legionibus integris tantâ cum laude præfuisi, Pater amantissime, Filium imperitantem sive numerosissimæ ac florentissimæ juventuti eâ cum dignitate pariter ac potestate, ut audientem dicto & imperio obsequentem habeas ut cùm placuerit, ducat milites in aciem, conferat manus cum hoste, victorias reportet, laureas ac triumphos mereatur. Hoc ipsum est, quod filio gratulari potes, quod filius tibi ipsi tuus hodie gratulatur; nisi fortè contemnendum crederis, quod filium vel hac ætate jam imperantem habeas. Id porrò non putem ignorare te, quod per te metipsum satis expertus es, nihil esse quod in homine imperante tam commendari soleat, quàm liberalitas ac munificentia. Hæc enim illa virtus est, quæ militum animos conciliat, robur incendit, & ad ardua quæque aggredienda viriliter excitat atque inflammat. Quare ita confidore, ut cùm mearum sit partium virtutes cæteras, quæ in Imperante adesse debent, comparare, liberalitatis unius exercendæ facultatem, quam in te uno positam nôsti, suppeditare non gravéris.

Vale.

LAPIS